

que paululum a privato abhorrens, militaris vigor: queis ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus esset, effecerat.

MATRIS ET UXORIS DARIÏ, NEC NON ALIARUMQUE
CAPTIVARUM, LUCTUM LEVAT ALEXANDER.

(LIB. III. CAP. XII.)

Rex diu Darium persequendo fatigatus, posteaquam et nox appetebat, et eum adsequendi spes non erat; in castra paulo ante a suis capta pervenit. Invitari deinde amicos, quibus maxime adsueverat, jussit; quippe summa duntaxat cutis in femore perstricta non prohibebat interesse convivio: quum repente è proximo tabernaculo lugubris clamor, barbaro ululatu planctuque permixtus, epulantes conterruit. Cohors quoque, quae excubabat ad tabernaculum regis, verita ne majoris motus principium esset, armare se coeperat. Causa pavoris subiti fuit, quod mater uxorque Darii cum captivis mulieribus nobiles, regem, quem interfectum esse credebant, ingenti gemitu ejulatuque deflebant. Unus namque è captivis spadonibus, qui forte ante ipsarum tabernaculum steterat, amiculum, quod Darius, sicut paulo ante dictum est, ne cultu proderetur, abjecerat; in manibus ejus qui repertum ferebat, agnovit: ratusque interfecto detractum esse, falsum nuncium mortis ejus attulerat. Hoc mulierum errore comperto, Alexander fortunae Darii, et pietati earum illacrymasse fertur. Ac primo Mithrenem, qui Sardeis prodiderat, peritum Persicae linguae, ire ad consolandas eas jusserat. Veritus deinde, ne proditor captivarum iram doloremque gravaret, Leonatum ex purpuratis suis misit, jussum indicare, falso lamentari eas Darium vivum. Ille cum paucis armigeris in tabernaculum, in quo captivae erant, pervenit, missumque a rege se nunciari jubet. At ii, qui in vestibulo erant, ut armatos conspexere, rati actum esse de dominis, in taber-